

# De Demosthenis Midiana oratione commentatio altera.

Scripsit

Dr. H. Wachendorf.

Quae de Demosthenis Midiana oratione abhinc annos quinque commentatus sum, Guilelmo Dillenburgero viro doctissimo, avunculo dilectissimo sollemnem diem celebranti, quo viginti quinque annis ante regi a consiliis rei scholasticae et rei publicae administrandae esse cooperat, gratulaturus: ea nunc duplice ob causam iterum tractare cogor. Nam et erant, qui a me peterent, curarem, ut mea, quae tum in perpaucorum, ut res ferebat, notitiam erant perlata, a pluribus cognosci possent, et postea vidi eandem rem peculiari libello, qui eodem anno prodiit, tractasse van den Esium, Gymnasii Rheno-Traiectini rectorem. Qui cum et Midianam orationem, qualem nunc habemus, a summo dicendi artifice profectam esse nullo modo posse efficere studeat et novam de origine orationis sententiam tulerit: ut illud, quod idem demonstrare mihi propositum fuerat, facile omnibus eum persuasisse concedo; sic quae de origine orationis iudicavit, neminem, ut aperte dicam, probaturum certum habeo. Evidem cum in eadem sententia, in qua tum fui, mihi manendum esse ducerem, totam rem iterum tractare constitui. Sed quo melius, si qui erunt, qui haec legent, de tota quaestione iudicare possint: primum causa quae fuerit, exponam; deinde quae potissimum res offensioni sint in praestantissima hac ceteris in rebus oratione breviter notabo — nam longus esse in hac commentationis parte post Boeckhii<sup>1)</sup>, Arnoldi Schaeferi<sup>2)</sup> van den Esii<sup>3)</sup> curas supersedeo — ; postremo quid de tota oratione et aliis visum sit et mihi iudicandum esse videatur subiciam.

Et causa quidem fuit haec: Midias Anagyrasius, homo dives et gratus, praepotentium virorum familiaritatibus fatus, cui, ut ait Demosthenes, omnes erant *ζαθάρατα ζαὶ πτωχοὶ* *καὶ οὐδὲν ἀριστεροί*, Demostheni privatim et publice infestus, cum multa alia audaciae et temeritatis documenta in oratorem dederat, tum magnis Dionysii, cum Demosthenes choragi munus suscepisset, insigni oratorem contumelia adfecerat. Sacras enim vestes et aureas coronas, quas ad chorum exornandum Demosthenes faciendas curaverat, noctu in aurificis domum intrumpens perdidit; chori magistrum, archontem, certaminum arbitros corrumpere conatus erat; aditum choro in scaenam paecluserat; postremo eo temeritatis processerat, ut ipsi Demostheni chorum ducenti spectantibus qui ex tota Graecia Athenas confluxerant, alapam inflixerit. Quam gravissimam iniuriam sibi inlatam ut ulcisceretur Demosthenes, primum probola usus Midiam apud populum accusavit; deinde hominem condemnatum causa ad ordinarium iudicium delata, hac oratione ita est persecutus, ut adversarii nomen in omnem posteritatem summo dedecore notaverit. Gravissimis enim et acerbissimis verbis in hominem invehitur, ut iudicium animos eadem, qua

<sup>1)</sup> „Von den Zeitverhältnissen der Demosthenischen Rede gegen Meidas“

<sup>2)</sup> „Demosthenes und seine Zeit.“

<sup>3)</sup> „Commentatio de Demosthenis Midiana.“

ipse flagrabat, ira incenderet; summo artificio efficit, secum, quod et chorago sibi et Dionysiorum festis diebus et in theatro iniuria facta sit, simul laesa esse leges, rem publicam, deorum immortalium numen; tota Midiae vita describenda et quam se contumeliose semper non solum in oratorem ipsum, sed etiam in alios cives atque in totum populum gesserit, exponendo, et ut leges et iudicia suis opibus fretus ludibrio semper habuerit, omnes ei misericordiae vias praecludit; admiramus denique vim, gravitatem, copiam argumentorum, quibus adversarium ita obruit, ut nullus ei exitus relinquatur, ut nobis orationem lectitantibus saepius in mentem venirent illa Ciceronis<sup>1)</sup>: „nihil acute inveniri potuit in iis causis, quas scripsit (scil. Demosthenes) nihil, ut ita dicam subdole, nihil versute, quod ille non viderit.“ Nescio tamen, quoniam casu factum esse dicam, ut in qua oratione tanta praestantia cernatur et in qua elaboranda se insigne studium posuisse Demosthenes ipse testetur<sup>2)</sup>: in eadem tam multa occurrant, quae a summo dicendi artifice quam maxime aliena esse videantur. Non dico eiusmodi sordes, quibus vel hominum vel temporum fraus etiam in aliis orationibus purissimum Demosthenis sermonem hic illic infecit; sed in tota orationis compositione, in rerum dispositione et tractatione, in argumentorum conlocatione, quibus ipsis in rebus admirabilis esse solet Demosthenis ars, multa leguntur, quae gravissimae et iustissimae offensioni obnoxia sunt.

Ac primum quidem in eo fere omnes offenderunt, quod totae sententiae iisdem fere verbis permoleste repetuntur, quod cum aliis locis factum est<sup>3)</sup>, tum loco in primis memorabili pag. 547, ubi leguntur haec: ἐγώ γὰρ οἷμα πάντας ἀνθρώπους φέρειν ἀξιοῦ παρ' αὐτῶν εἰς τὸν βίον αὐτοῖς ἔργαν παρὰ πάντῃ ὅσα πράττουσιν, οἷον ἐγώ τις οὐτοὶ μέτριος πρὸς ἀπαντάς εἰμι, ἐλεήμων, εὐ ποιῶν πολλούς. ἀπασι προσήκει τῷ τοιούτῳ ταντὸ ἐλσφέρειν, εἴ τον καιρὸς ἥ χρεία παραστῇ. Ἐτερος οὐτός τις βίαιος, οὐδένα οὐτ' ἐλεῖν οὐδὲ ὄλως ἀνθρώποις ἡγούμενος· τούτῳ τὰς ὄμοιας φορὰς παρ' ἐκάστου δίκαιον ὑπάρχειν· σὺ δὴ πληρωτής τοιούτου γεγονὼς ἔργανου σεαυτῷ τούτου δίκαιος εἶ συλλέξασθαι. Ea omnia fere etiam pag. 574 leguntur sic: ἐγώ νομίζω πάντας ἀνθρώπους ἔργανους φέρειν παρὰ τὸν βίον αὐτοῖς, οὐχὶ τούσδε μόνους οὐσι συλλέγοντι τινες καὶ οἱ πληρωταὶ γίγνονται, ἄλλα καὶ ἄλλους. οἷον ἔστι μέτριος καὶ φιλάνθρωπος τις ἡμῶν καὶ πολλοὺς ἐλεων· τούτῳ ταντὸ δίκαιον ὑπάρχειν παρὰ πάντων, ἀν ποτε εἰς χρείαν καὶ αγώνα ἀφίσηται. ἄλλος οὐτοὶ τις ἀγαθῆς καὶ πολλοὺς νήβοιζων, καὶ τοὺς μὲν πτωχούς, τοὺς δὲ καθάρια, τοὺς δ' οὐδὲν ὑπολαμβάνων εἶναι. τούτῳ τὰς αὐτὰς δίκαιον ὑπάρχειν φοράς, ἀσπερ αὐτὸς εἰσεγήνοχε τοῖς ἄλλοις. ἀν τοίνυν ὑμῖν δοθῶς ἐπὶ τοπεῖν, τούτου πληρωτήν εὐρήσετε Μειδίαν ὅτια τοῦ ἔργανου καὶ οὐκ ἔξειν.

Sunt, qui talia non solum ferenda, sed etiam „perbene“ repeti putent in oratione, qua, ut ait Buttmannus, id agatur, ut tam concitentur animi, quam mentibus persuadeatur. Qua defensione qui utuntur, primum Athenienses, quibus nulla unquam gens natura erat acutior neque ad causas difficillimas diiudicandas aptior, meros lapides fingunt, neque eos quicquam putant concoquere potuisse nisi res iterum iterumque recocatas. Deinde quaero, quoniam iure in hac oratione „perbene“ fieri contendant, quod in aliis Demosthenis orationibus nusquam factum videmus, quamquam multas causas dixit, in quibus iudicibus multo plura erant memoria complectenda. Et recte Arn. Schaeferus: „Darin zeigt sich gerade die Meisterschaft des Demosthenes in seinen durchgearbeiteten Reden, dass, so oft er auf dieselben Gedanken zurückkommt, sie stets in neuer Gestalt uns entgegen treten, so dass wir die Wiederholung kaum gewahr werden. In der Rede wider Meidias kehren dieselben Ausdrücke oft in lästiger Weise wieder“. Evidem has sententias in eadem oratione locum habere posse, iure mihi negasse videor, quod idem van den Esius de omnibus his repetitionibus iudicavit.

Ut ad cetera pergamus, dici vix potest, quam incommodo aliquot locis quae artissime cohaerent, distrahanter, quae non cohaerent, confundantur, quam moleste interrumpatur argumentorum series, quam

<sup>1)</sup> Brutus IX. 35.

<sup>2)</sup> Pag. 576 ἐγώ δὲ ἐσκέψθαι μὲν, οὐδὲ ἀνδρες Αθηναῖοι, φημὶ καὶ οὐκ ἀν αρνηθεῖν καὶ μεμελετηκέναι γ' ὡς ἐνῆν μάλιστα ἐμοὶ.

<sup>3)</sup> Velut pag. 541 compar. c. pag. 545; pag. 539 compar. c. pag. 566; pag. 574 compar. c. pag. 578.

saepe a proposito aberrare videatur oratio. Quae quibus potissimum locis acciderint, age paulo accuratus consideremus. Pag. 518 orator, primum se ea demonstratum, in quibus ipse a Midia violatus sit, hisce verbis indicat: *βούλομαι δέ επαστον αὐτὸν ἀρχῆς ὁν πέποιθα ἐπιδεῖξας καὶ περὶ τῶν πληγῶν εἰπεῖν, ὃς τὸ τελευταῖον προσενέτεινέμοι*. Ea, quae fuerint, cum pag. 519, 520 expositum sit, sequuntur pag. 521 haec: *τὰ μὲν οὖν εἰς ἐμὲ καὶ τοὺς φυλέτας ἡσείγημένα καὶ περὶ τὴν ἔσοτήν ἀδικήματα τούτῳ πεπραγμένα, ἐφ' οἷς αὐτὸν προνθαλόμην, ταῦτ' ἔστιν, οὐ ἄνδρες Ἀθηναῖοι seq.*, quae luce clarius est verba esse indicantis, satis se demonstrasse eam rem, quam proposuerat. Sed tanquam eius rei nihil dū attigerit orator novam de eadem re demonstrationem paulo infra (pag. 521) proponit hisce verbis: *ἔξελέγω δὲ πρῶτον μὲν ὅσα αὐτὸς ὑβρίσθην, ἔπειτ' ὅσα ὑπεῖσαν*. Haec non concinere inter se monenti van den Esio quis non concedat?

Iam cum exposuisset Demosthenes, quibus iniuriis ipse a Midia adfectus esset, ita pergit: *ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρας ἐτέρας παυπηθεῖς αὐτοῦ καὶ ὑβρεῖς εἰς πολλοὺς ὑμῶν καὶ τολμήματα τοῦ μαροῦ τούτου πολλὰ καὶ δεινὰ seq.* Ea, quae fuerint, antequam doceat, testibus se convicturum ostendit, Midiam superbissime sibi insultasse. Iam cum nihil praeter unum illud aurificis testimonium proferatur, inde Boeckhius, quem plerique secuti sunt, effecit, intercedisse post aurificis testimonium totam testimoniorum seriem, quibus Demosthenes etiam alias in se iniurias adversario crimini datas iudicibus probaverat. Quod vel taedio describentium facillime accidere potuit. Sed non solum testimonia intercederunt. Etenim nusquam, quod sciām, oratores, ubi talibus testimoniis utuntur, satis habent, ea iudicibus ita proposuisse, ut quid iis inlustrari velint, ipsis divinandum reliquerint, sed et de testibus et de iis, quae pro testimonio dixerunt, si non multa verba faciunt, at pauca quaedam adiciunt, quo melius, quae pro sua re faciant, intellegantur et vis persuadendi augeatur. Quod qui consideraverit, longe maiorem, quam vulgo credunt, hoc loco lacunam statuendam esse concedet. Sed ut ad oratoris verba, quae supra laudavi, redeam: exspectatur, ut Demosthenes iam ad illa transeat, quae supra indicaverat (sc. *ὑβρεῖς εἰς πολλοὺς ὑμῶν*). Et sequuntur haec (pag. 522): *πολλὰ μὲν τοίνυν, οὐ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ περὶ ὃν τοὺς ἄλλους ἥδιζηνεν ἔχω λέγειν . . . καὶ συνέλλογα ὑβρεῖς αὐτοῦ καὶ ἀτιμας τοσαντας, ὅσας ἀσύνεσθε seq.*, quibus verbis significare videtur, iam se ad illa transiturum, quae in alios cives Midiam contumeliose fecisse arguerit. Nec tamen eiusmodi quicquam sequitur, sed multis est orator in rebus longe diversis commemorandis, eorum, quae proposuerat, prorsus oblitus. Refellit plura, quae adversarius ad facinoris sui invidiam minuendam obiecturus sit; exponit causam et originem veterum, quae ei erant cum Midia, initicitarum, et quam multa et acerba in se iam adolescentulum ex illis inimicitias redundaverint, sim. Tandem ad iniurias transit, quas Midias aliis civibus intulerit, sed ita, ut eum locum iam ante se attigisse ne verbo quidem significet his verbis (pag. 556): *εἰ μὲν τοίνυν, οὐ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, σώφρονα καὶ μέτριον πρὸς τὰλλα παρεσχηκὼς αὐτὸν Μειδίας καὶ μηδένα τῶν ἄλλων πολιτῶν ἥδικηνες εἰς ἐμὲ μονὸν ἀσελγῆς οὕτω καὶ βίσιος ἐγεγόνει, πρῶτον μὲν ἔχων ἀτίχημα ἀν ἐμαυτὸν τοῦτο ἥγονυμιν, ἔπειτ' ἐφορούμην ἄν, μηδὲ τὸν ἄλλον ἔαντον βίον οὗτος μέτριον δεικνύειν καὶ φιλάνθρωπον διαχρονίστει τούτῳ τὸ δίκην ὃν ἐμὲ ὑβρικε δοῦναι. ννι* δὲ τοσαντ' ἔστι τὰλλα, *αὶ πολλοὺς ὑμῶν ἥδιζηνε seq.*, de quibus idem sentio, quod van den Esium adnotare video: „Rectissime haec omnia dici, unusquisque sentiet; pulcherrimus est transitus ad istam enarrationem, sed non amplius tales exspectamus transitum, postquam orator iam dixit (pag. 522) se enarraturum omnia, quae Midias in alios commiserit.“

Similis offendit causa est pag. 581 compar. cum pag. 582, ubi ad Midiae amicos et defensores oratio ita vertitur, ut duplice ad eandem rem transitum habeamus. Nam pag. 581 orator ad novum hoc argumentum sic transit: *Πέπνουσαι τοίνυν καὶ Φιλιππίδην καὶ Μηνσαρίδην καὶ Διότιμον τὸν Εὐνούμεα καὶ τοιούτους τινας πλονοίους καὶ τριηράρχους ἔσατισσεσθαι καὶ λιπαρήσειν παρ' ὑμῶν αὐτὸν, αὐτοῖς ἀξιούντας δοθῆναι τὴν χάριν ταῦτην: qui quibus de causis a iudicibus audiendi non essent, cum deinde exposuisset, tanquam nihil supra de istis divitibus et gratiosis praecesserit, pag. 582 his verbis pergit: Πλούσιοι πολλοὶ συνεστηκότες, οὐδὲν ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὸ δοκεῖν τινὲς εἶναι δι' εὐπορίαν προσειληφότες, ὑμῶν παρίσι δεησόμενοι*

*ιούτων μηδενί με, ὃ ἄνδρες Αθηναῖοι, προῆσθε, seq.* Quae verba eius videntur esse, qui de Midiae defensoribus nihil dixit, sed dicturus sit, ut mihi quidem de hoc loco recte iudicasse videatur van den Esius dicens: „Nimis neglegenter rem egisset Demosthenes, si ipse in una oratione hoc utrumque initium conscripsisset.“

Res artissime cohaerentes vitiosissime distractas esse, quivis facile concedat, qui quae pag. 574 leguntur cum iis, quae pag. 546 praecedunt, comparaverit. Commemoraverat enim orator pag. 546, Midiam, ut iudicium misericordiam commoveret, liberos suos in iudicium adducturum. Iniquum autem esse postulare, ut iudices liberis patrem condonarent, eum, qui ipse patrem crudelissime perdidisset, nulla liberorum misericordia tactus: *τι οὐν υπόλοιπον; ἐλεῆσαι νὴ Λία· πατέλαι γάρ παραστήσεται καὶ κλαγμέται καὶ τούτοις αὐτὸν ἐξαιτήσεται τοῦτο λοιπόν. . . . . καὶ τίς ἀν ταῦτη ἐλεῆσει δίκαιως, ὅρῶν τὰ τοῦδε οὐν ἐλεηθέντα υπὸ τούτου, ἡ τῇ τοῦ πατρὸς συμφορᾶς χροὶς τῶν ἄλλων κανὼν οὐδὲ ἐπιχονοῖται ἔνοσσαν ὁρᾶ seq.* Idem de Midiae liberis locus multis interim aliis rebus tractatis pag. 574 recurrat, ubi ita in eo argumento orator versatur, quasi nulla eius antea mentio facta sit, rem tanquam prorsus novam ita proponens: *Ολδα τοίνυν, ὅτι τὰ πατέλαι ἐχων ὁδυρεῖται καὶ πολλοὺς λόγους καὶ ταπεινοὺς ἔρει, δακρύων καὶ ὡς ἐλεεινότατον ποιῶν ἔαντόν . . . . . ἐμοὶ παιδία οὐκ ἔστιν, οὐδὲ ἀν ἔχομι ταῦτα παραστησάμενος κλέψιν καὶ δακρύειν, εἴ τοις ὑβρισθη. διὰ τοῦτο ἀστονθότος ὁ πεπονθώς ἐλαττοντος ἐξω παρ' ὑμῖν; μὴ δῆτα ἀλλ' ὅταν οὗτος ἔχων τὰ παιδία τούτους ἀξιοῦ δοῦναι τὴν φῆμον ὑμᾶς, τοθ' ὑμεῖς τούς τόμους ἔχοντα με πλησούντης ἕγεισθε παρεστάναι καὶ τὸν ὄργον ὃν διμωμόσατε seq.*

Adiciam locum pag. 537, ubi expositis Midiae iniuriis orator sic pergit: *εἰ τοίνυν τις νῦν, ὃ ἄνδρες Αθηναῖοι, ἄλλως πως ἔχει τὴν ὁργὴν ἐπὶ Μειδίαν ἢ ὡς δέον αὐτὸν τεθνάναι, οὐκ ὁρθῶς ἔχει. οὐν γάρ ἔστι δίκαιοιο οὐδὲ προσῆκον τὴν τοῦ πατέρος εὐλάβειαν τῷ μηδὲν υποστειλαμένῳ πρός υβριν μερίδα εἰς σωτηρίαν υπάρχειν seq.*

Viderat Reiskius eumque secutus Buttmannus argumentationem hic hiare, quod „non antecesserit mentio moderationis, qua non ultus sit Demosthenes aggressorem.“ Itaque post τεθνάναι plura excidisse putat, quod etsi Reiskius pro certo affirmat, improbarunt tamen omnes, adquiescendum rati in hac Henr. Schaeferi enarratione: „Persaepe oratores ita argumentantur, ut medias notiones, quas addi poscat dialectica subtilitas auditoribus subaudiendas relinquant.“ Audio; sed „notiones medias“ eas, quae aut per se aut ex iis, quae praecedunt, facile subaudiri possunt; nunquam autem rēbus, quarum antea nulla mentio facta est, pro certis et notis in argumentatione utuntur oratores, si quidem se intellegi volunt. Hoc loco, qui nihil de oratoris moderatione audiverit, quid poterit subaudire? De hac autem sua moderatione, quam in causa fuisse dicit Demosthenes, ne quid gravius ex Midiae contumelia accideret, demum agere coepit pag. 538 inde a verbis: *καὶ ἐμαντὸν μὲν γε, ὃ ἄνδρες Αθηναῖοι, σωφρόνως, μᾶλλον δὲ εὐτυχῶς οἷμαι βεβούλευσθαι, ἀνασχόμενον τότε καὶ οὐδὲν ανήκεστον ἐξαγθέντα πρᾶξαι seq.* Quare ne nobis quidem Reiskii coniectura satis facit — ita enim orator bis eandem rem tractasset — nec tamen aut offensionis nulla causa esse cum ceteris videtur, aut paucis verbis additis mutatisive medicina parata. Nam ordo rerum est turbatus. Verbis illis: *οὐ γάρ ἔστι δίκαιοιο οὐδὲ προσῆκον seq.* Demosthenes, nisi praemissis iis, quae pag. 538 de sua moderatione exponit, uti non potuit.

Exposui gravissima quaeque, quae aut offensioni fuerunt aut in summo dicendi artifice offensioni esse debent, relictis omnibus, de quibus ulla esse possit dubitatio. Apparere puto, quibus in hac oratione offendimur, ea non dico Demosthenis illi δεινότητι, sed vulgaribus artis oratoriae praceptis ita repugnare, ut satis mirari nequeamus. Iam pauca illa circumspiciamus, quae de historia litis Midiana nota sunt, si forte ex iis ad certius de oratione iudicium pervenire possimus. Ex ipsa autem oratione constat, Demosthenem, ut praejudicium populi contra adversarium nanciseretur, προβολῆ usum Midiam primum apud populum reum fecisse; cum autem populus „μιζ γνώμῃ“ hominem condemnasset, causam in Heliastarum ordinarium iudicium deduxisse, quorum erat, tota causa iterum acta et de culpa rei iudicare et sceleris comperto

poenam imponere<sup>1)</sup>. Nec tamen causam egisse Demosthenem apud iudices, sed triginta minis acceptis accusatione destitisse, testes sunt Aeschines<sup>2)</sup> et Plutarchus<sup>3)</sup>. Iam certis argumentis Boeckhius<sup>4)</sup>, quem ceteri secuti sunt, confirmavit, orationem paulo ante, quam res Midiana componeretur, scriptam esse neque postea a Demosthene editam. Itaque ea fuit virorum doctorum sententia, quae iam Photii<sup>5)</sup> aetate obtinebat, Demosthenem adumbrasse tantum orationem, non absolvisse, ut imperfecta nec omnibus numeris absoluta ad nos pervenerit. Van den Esius vero hanc de oratione sententiam tulit: „oratorem hic illic quaedam conscripsisse censeo, quae ei aliquando in ea oratione ex usu forent; orationem vero nostram confecisse vehementer nego; post oratoris mortem autem avidam librariorum gentem has scidulas reperisse recte mihi suspicari videor et in unam orationem conglutinasse, nihil morantem Demosthenis artem, sed hoc tantum curantem, ut quam longissima evaderet oratio, quae quam plurima mereret Sosiis aera.“ Mihi orationem saepius uno tenore relegenti neutra sententia videtur probanda; duo enim, quae gravissima videntur, obstant. Primum enim in universum si orationem spectamus, omissis interim, quae iustae offensioni esse diximus, vitiis — ea autem aut omnia aut longe maximam partem non ipsius oratoris culpa accidisse arbitror — cetera non solum sine ulla offensione, sed cum summa admiratione leguntur neque in singulis solum „spirat oratio summum oratorem“, quod van den Esius quoque concedit, sed etiam in totis partibus. Quae enim oratoris causae prodesse, adversario invidiam conflare poterant, omnes Midiae contumeliae summo acumine inventa, summa diligentia collecta, copiosissime exposita, verbis aptissimis et gravissimis exornata sunt, ut nihil aut omissum aut leviter tractatum videatur et iure mihi quidem Hermannus, haud spernendus talium rerum existimator, Midianam praestantissimum nominasse videatur veteris eloquentiae monumentum<sup>6)</sup>.

Deinde quae molesta restant, eiusmodi sunt, ut etiamsi Demosthenes orationem adumbrasset tantum, non perpolivisset, aut si non totam orationem, sed „hic illic quaedam conscripsisset, quae ei aliquando in ea oratione ex usu forent“: tamen non talem haberemus orationem, qualem nunc habemus. Ante omnia enim orator, quae dicturus esset, disposuisset, quibus argumentis et quoniam ordine iis uteretur, apud animum suum statuisset; singula nontam dum copiose exornasset, rerum capita gravissima quaque notando strictim persecutus esset; in his oratio operis non ad finem perducti signa prae se ferret; non eiusmodi rebus offendiceremus, quae sunt hominis sine certo consilio agentis et temere omnia permiscentis atque perturbantis.

Tenendum autem est, Demosthenem Midia apud populum reo facto causam iam egisse neque unquam fere dixisse, quin, quae in iudicio dicturus esset, et diligenter secum commentaretur, et quae secum commentatus esset, litteris mandaret. Iam cum satis spatii intercederet inter priorem causam apud populum actam et alteram apud iudices agendam, verisimile est, oratorem re denuo tractata orationi illi, qua in priore actione usus erat, nova addidisse, multa

<sup>1)</sup> Nam utrumque Heliastarum fuisse, contra Hermannum recte disputavit Arn. Schaeferus in libro: „Demosthenes und seine Zeit“ II. pag. 101.

<sup>2)</sup> c. Ctes. pag. 441.

<sup>3)</sup> in vita Dem. pag. 851.

<sup>4)</sup> in libello laudato pag. 13.

<sup>5)</sup> Biblioth. cod 265 p. 800. διὸ καὶ τινες ἔφησαν, ἐκάπερον λόγον (i. e. τὸν κατὰ Μειδῶν καὶ τὸν καὶ Αἰσχύλου) ἐν τύποις καταλειψθῆναι, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἐκδοσιν διακεκαθάρθειν.

<sup>6)</sup> Van den Esium, quem in nulla fere orationis parte non offendisse video, primum iudicium suum non ad rectam normam direxisse puto. Nam quod pag. 23 significare videtur, hanc orationem non eadem aestimatione metendum esse atque ceteras, dicens, *de auditoribus, Midianam cum tractemus, sermonem esse non posse, sed de lectoribus;* certum est, Demosthenem, etsi oratione in iudicio usus non est, tamen omnia ita conscripsisse, tanquam aliquando in iudicio usurus esset, ut ipse certe non de lectoribus, sed de auditoribus cogitaverit. Itaque quae in ceteris eius orationibus quas in iudicio habuit et retractatas litteris mandavit, ferenda videntur — neque enim iisdem praecepsis, quibus hodie, apud veteres dicendi ars continebatur nec tam anguste erat coercita — ea cur in hac oratione non ferenda videantur, causam non perspicio. Sed ut huius orationis diundicandae non eadem norma sit, quae ceterarum; tamen vel sic virum doctissimum multa notasse puto, quae nullam habeant iustae offensionis causam. Sed ea persequi non est huius loci.

exornasse et dilatassem, neque eodem ordine, quo antea, argumenta quaeque tractasse, ut fit, si in eandem rem curas cogitationesque nostras saepius conferimus. Quod in hac causa factum esse, eo magis est verisimile, quod in προθολῆς actione populus sublatis manibus ad accusationem tautum reum destinabat, poenam non statuebat, sed integrum rei arbitrium iudicibus permettebat, ut apud hos causa multo maiore cura et diligentia agenda esset. *Inde nobis factum videatur, ut, cum duas orationes ad litem Midianam pertinentes Demosthenes in scriptis suis reliquisset, quae in eodem argumeto eademque causa versabantur — unam, quam apud populum dixerat, breviorem et minus diligenter elaboratam, alteram si non omnibus numeris absolutam, at ita perfectam atque absolutam, ut per paucis additis mutatisque apud iudices ea uti posset et nisi causa esset composita, usurus fuerit — is, qui post mortem eius orationem edidit, ex duabus illis hanc unam faceret, quae nunc Midiana nomine circumfertur.* Etsi fieri non potest, ut quae sic olim prave coaluerint, nunc apte secernamus, et, quaenam fuerit pristina orationum forma, hodie ne divinare quidem licet, coaluisse tamen orationes Midiana, ut nunc habemus, ipsa forma fidem facit. Nam cum argumentis in utraque oratione iisdem fere, ut res ferebat, orator usus esset, sed neque eodem ordine et ita, ut quae in priore oratione strictim magis persecutus erat, rem iterum accuratius tractans augeret, exornaret, testimoniis confirmaret, exemplis illustraret, fieri non potuit, quin is, qui post mortem eius orationem conglutinavit et edidit, multa turbaret, cum neque ea, quae in priore oratione invenerat, oblivioni dare vellet, nec cum rebus in posteriore tractatis apte coniungere sciret.

Quodsi ita orationem coaluisse censebimus, non iam mirabimur molestas illas earundem sententiarum repetitiones, velut illam similitudinem, quam ab ἐράρῳ nunc orator mutuatur bis (pag. 547 et pag. 574). In utraque enim oratione Demosthenes hoc loco aptissime uti potuit, in una eademque oratione bis uti non potuit. Sic etiam explicari potest, quod multa hodie in oratione offensioni sunt, quae per se si species, sive quae sive qua ratione sint dicta, considerabis, summi oratoris esse, non ab aliena manu profecta videantur. Quis est, ut hoc adferam, qui pulcherrimum illum transitum (pag. 556) ad demonstrationem iniuriarum Midiae in alios cives si per se species non omni laude dignum iudicet? Quis non eundem hunc transitum locum habere posse negaverit, qui meminerit praecessisse locos pag. 521 et pag. 522, ubi eiusdem rei demonstratio ab oratore proponitur? Itaque cum verisimile sit, Demosthenem, quaenam superbiae et temeritatis documenta Midias etiam in alios cives dederit, commemorasse, duplex autem ad eandem rem transitus in una eademque oratione ferri non possit, nec tamen quicquam in verbis ipsis insit, quod non ab ipso oratore profectum esse videatur; equidem non dubito, quin loci pag. 521 et 522 ex priore oratione desumpti in alteram male intlati sint. Quod idem mihi factum videtur pag. 519, 520, quibus continetur *demonstratio iniuriarum oratori per choregiam a Midia inlataram*. Hac orationis parte nulla alia oratori gravior videri debuit; nam quod crimen iudicibus probare magis eius interfuit, quam id ipsum, quo adversarium accusaverat? Itaque expectatur, ut, — sive Demosthenes orationem non perfecit, ut fragmenta tantum eius extant, sive perfectae orationis perpolliendae extremum laborem non adhibuit — in hac certe accusacionis parte omnem operam consumpscrit. At in iis, quae pag. 519, 520 leguntur, etsi quin Demosthenis sint, dubitari minime potest, tamen orator res gravissimas ibi tractatas quasi levipe transilire videtur, cum in cetera oratione alias longe minoris momenti et vix ad ipsam causam pertinentes summa diligentia pertractaverit. Neque enim accuratam narrationem habemus earum rerum, quae totam accusationem continebant, nec eas ipsas testimoniis confirmatas et quae dicta sunt, nihil prae se ferunt indignationis illius atque irae, quam oratio fere spirat<sup>1)</sup>.

<sup>1)</sup> Conferendum est etiam van den Esius, cuius haec sunt de hoc loco (pag. 21): „Quum reputamus, quanti momenti faciat Demosthenes alapam sibi a Midia ductam, non iniuria miramur, quod in ipsa cause expositione tam leviter hanc tractaverit rem; tantummodo non omittit istam alapam, idque licet oratio sit inscripta: οὐταὶ Μειδίου περὶ τοῦ κοιδύλου. Accuratam exspectantes narrationem dimittimur hisce“ (sequitur § 18).

Quae dicta sunt, in ποιοθολήσ actione apud populum instituta forsitan suffecerint — nam angustiis temporis exclusus orator non satis praeparatus ad causam accessisse videri potest — testimonii tamen additis ad crimina adversario oblata iudicibus probanda; causa ad ordinarium iudicium delata, ubi non solum de culpa, sed de poena Midiae agebatur, neglegentissime rem egisset Demosthenes, si ad id, quod caput erat, non maiorem diligentiam adhibuisse. Evidem putaverim, oratorem in illa oratione, qua apud iudices usurus erat, omnia illa, quae pag. 519, 520 continentur, accuratius tractata auxisse atque exornasse, singula crimina suo quodque loco testimonii confirmasse; sed eum, qui post mortem eius orationem edidit, cum easdem hoc loco res quanquam longe diverso modo in utraque oratione tractatas videret, ut in unam confundere eas non posset, breviora praestantioribus praetulisse de sua magis commoditate, quam de legentium commodo sollicitum. Nam totam illam testimoniorum seriem exscribere per molestem erat; quo labore, iis, quae in priore oratione invenerat, contentus facilius potuit supersedere; hic enim, ut ex ipsis oratoris verbis apparet, invenerat testimonia omnibus rebus breviter, sed ordine expositis subiecta, in altera et auctiora opinor et singulis criminibus interposita, ut iis omissis orationis tenorem non servasset. Idem iudicandum videtur de verbis illis quae supra laudavi (pag. 521): ἐξελέγξω δὲ πρώτον μὲν ὅσα αὐτὸς οὐδείσθη, ἔπειθ' ὅσα ίμεῖς seq. Ferri ea non posse supra vidimus, nam et rei iam tractatae (pag. 519, 520) tanquam novae demonstratio iis proponitur et praecessit iam ad eiusdem rei demonstrationem transitus pag. 518: βούλομαι δ' ἐχαστον απ' ἀρχῆς ὃν πέπονθα ἐπιδείξας καὶ περὶ τῶν πληγῶν εἰπεῖν, ἀς τὸ τελευταῖον προσεγέτεινέ μοι. Sed, ut dixi, quae fuerit utriusque orationis pristina forma, quae priori, quae alteri tribuenda sint, hodie si quis discernere velit, suum quisque sensum secutus esse videatur potius, quam certam, quae persuadendi vim habeat, iudicandi normam.